

## IN FESTO NATIVITATIS B. M. V.

EVANGELIUM. MATTH. II.

Liber generationis Jesu Christi, filii David, etc. Ut in festo conceptionis ejusdem.

### CONCIONES.

- I. De communi lætitia per ortum Mariæ mundo allata.
- II. De arboribus hujus genealogiæ præcipuis.
- III. Significationes nominis Mariæ.
- IV. Ostenditur Deiparæ deberi summam gratiarum plenitudinem et dignitatem.
- V. Ostenditur Mariam matrem esse justorum.
- VI. Quomodo Maria sit signum magnum.
- VII. Cultus et honor Deiparæ comprobatur omnium suffragiis.
- VIII. Ratio colendi Virginem Mariam.
- IX. Documenta.

#### CONCIO I.

DE COMMUNI LÆTITIA PER ORTUM MARIE MUNDO ALLATA.

- I. Gaudium parentibus V. B. — II. Patribus in limbo. — III. Angelis in cælo. — IV. Deo ipsi. — V. Universo mundo.

#### THEMA.

*Nativitas tua Dei Genitrix Virgo Gaudium annuntiavit universo mundo.* Eccl. cath. vox.

Mirum alicui videri posset, cur hodierno die Ecclesia insolito et peculiari gaudio prorumpat in celebrationem nativitatis B. M. V. Quid enim magnum est nasci in vitam mortalem, miseram, calamitosam? Nonne Ecclesiast. dixit, c. IX. *Melior est dies mortis die nativitatis?* Nonne Divus August. lib. de visitatione infirmorum ait: « Audenter pronuntio, quia principium vitæ hominis, initium dolorum est, fuere philosophi hoc non ignorantes, qui in ortu pueros lugebant, in morte autem gaudebant, hoc significantes, quia homo ad laborem nascitur, ad quietem moritur. » Sed respondemus merito gaudere Ecclesiam in Mariæ ortu, quia ipsa nata est immunis a peccato et nunquam peccatura, imo per sui ventris fructum

#### CONCIONES AUCTARII.

- I. Exempla mala progenitorum Christi cavenda
- II. Poma, seu exempla bona hujus arboris distribuantur.
- III. Doctrinæ ex hodierno evangelio.
- IV. Ignis hoc die de cælo lapsus quid sibi voluerit.
- V. Maria Virgo stella matutina.

aliquando omnes a peccatis liberatura. Nascitur ergo parentibus, nascitur patribus in limbo constitutis, nascitur angelis in cælo positis, nascitur ipsi Deo, nascitur toti mundo, ad omnium commune gaudium. Merito igitur hodie canit Ecclesia: *Nativitas tua Genitrix Virgo gaudium annuntiavit universo mundo.* Id quod nunc ostendemus.

I. Gaudium annuntiavit sanctis ejus parentibus Joachimo et Annæ. Primo, quia sterilibus usque ad senectutem, nata est filia prius continuis precibus et quadragenario Joachimi jejuni impetrata, Deo etiam devota et ab angelo annuntiata; ubi scribunt S. Epiphanius, serm. de laud. Virg. S. Hieronymus vel quisquis est auctor libri de ortu Mariæ; Germanus patriarcha Constantinop. in orat. de Virg. præsentatione; Damascenus et alii. Cum autem in veteri lege sterilitas probro esset parentibus, inde colligi potest, quantum fuerit gaudium parentibus Deiparæ.

Secundo, quia tanta filia eis nata est, quam nimirum didicerunt angelico nuntio fore matrem Messie. Quare si Abraham in ortu Samuelis, si Zacharias in ortu Joannis gaudio repleti sunt, eo quod agnoverint fore eos magnos coram Deo: quanto magis Mariæ parentes in ortu tantæ filiæ? Quantopere gauderet paupercola mater, si nosset

natam sibi prolem, quæ futura esset episcopus vel cardinalis, vel rex aut regina? Et quid hæc ad dignitatem Deiparæ?

Cæteri parentes non ita possunt gaudere, cum nascitur eis proles, quia nesciunt qualis ea futura sit. Quam multæ matres gavisæ sunt in ortu filiorum, quos postea lamentabili aspectu videre in patibulis debuerunt, uti Respha uxor Saulis septem filios crucifixos, II. Reg. XXI. vel quos in inferno per omnem æternitatem cruciari videbunt. Hinc Eccl. II. ait: *Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro utrum sapiens an stultus futurus sit.*

II. Patribus in limbo constitutis, quia hodie acceperunt nuntium appropinquantis liberationis suæ et diei mox secuturi post tam longam noctem, juxta id Isa. IX. *Populus qui ambulat in tenebris, vidit lucem, magnam: habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.* Cum enim intellexerunt natam Messie matrem, intellexerunt etiam non longe abesse liberatorem suum. Antè hunc diem, videtur illorum vox fuisse ea, quam describit Isaias, c. XXI. *Custos quid de nocte? Custos quid de nocte? Et dixit custos: Venit mane et nox, id est, venit mane, sed adhuc non omnino transiit nox, q. d. venit medium inter noctem et diem. Quotquot antea patriarchæ ad limbum descenderunt, non poterant annuntiare illis patribus, quando nox finienda esset. Hodie illis dictum est: Venit mane et nox, id est, aurora diem annuntians. Cogitate, auditores, quantum nobis gaudium foret, si post longam aliquam noctem, v. g. triginta annorum (nescio ubi detento sole) rediret ad nos lux et aurora quos plausus, quæ jubila ederemus? Multo longior fuit nox illorum patrum: unde nihil dubitandum, quin hanc diem lætissimis vocibus et plausibus exceperint.*

III. Angelis in cælo, quia nata est ipsis Mater Domini sui, per quem acceperunt plurima bona, illuminationem, perfectionem, beatificationem, et per quem restaurandæ erant ruinæ perfidorum angelorum. Exultavit in utero matris Joannes ad præsentiam et adventum Matris Domini sui: quis dubitet exultasse et in cælo angelos ad ortum Matris Domini sui? Lætantur Ægyptii cum vident Nilum alte incrementum, quia sciunt inde agros fœcundari et magnam sibi proventuram messem: cur non etiam lætarentur angeli, videntes nasci Virginem, quæ paritura illis erat Dominum suum, a quo maximis ipsi bonis partim affecti, partim efficiendi et ordines ipsorum redintegrandi cœlumque totum beatis replendum erat? Domino teste: *Gaudium est angelis Dei super uno peccatore penitentiam agente, quanto magis super ortu*

Mariæ, cujus ope et beneficio omnes peccatores acturi erant penitentiam, quotquot erant acturi? Imo angeli causa sunt institutionis festi hujus, sicut refert Vincentius Belluacensis, in spec. hist. l. VI. c. LXV. et lib. VII. CXIX. « Solitarius, inquit, quidam sanctæ vitæ fuit qui singulis annis harmoniam in cælo nocte nativitatis Deiparæ audivit; hic cum miraretur, quod hoc alio tempore non audiret, rogavit Deum ut sibi ostenderet, quid hoc significaret, cui angelus Domini apprensus talia retulit. Virgo perpetua quæ Deum genuit, hac nocte nata fuit, quod licet ab hominibus ignoretur, ab angelis celebre habetur. Qua revelatione divulgata, ejus nativitas celebrari ab Ecclesia instituta est. » Hæc Belluac.

IV. Deo ipsi ter optimo, quia hodie fecit opus præstantissimum et dignum Filio suo extruxit habitaculum. Sic enim lætatur artifex, cum perfecit opus aliquod præclarum et cedro dignum. Atque idcirco Deus cum perfecisset omne opus initio creationis, vidissetque cuncta, quæ fecerat, essentque valde bona, requievit ab omni opere egitque et instituit diem festum sabbati. Et tamen eo tempore terreno solum Adamo servo suo præparaverat habitaculum, hunc videlicet mundum. Quanto magis ergo lætatur credimus, cum præparavit Filio suo animatum habitaculum, Virginem scilicet Mariam? Quanto enim præstantior gratia natura et Christus Adamo, tanto excellentior Maria isto mundo. Neque tantum Deus Pater, sed et Filius et Spiritus s. hodie lætati sunt. Filius, quia hodie invenit matrem et ministram sibi competentem, et se dignam, in cujus utero requiesceret, cujus potissimo sanguine vestiretur, cujus lacte pascere, cujus ministeris et obsequiis in tota vita foveretur. Et hæc est mulier illa fortis, quam requirebat Salomon, Prov. XXXI. *Mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus prælium ejus.* Fortis autem erat, quia victrix dæmonis, cui nulla unquam ratione subjecta erat.

Spiritus sanctus item, quia hodie invenit domum et templum perpetuo sibi dicatum, in quo semper immotus requiescere posset: sicut gaudet dux occupato aliquo castello inexpugnabili. Cæteri mortales omnes contristant aliquando Spiritum sanctum, cum vel in peccato nascuntur, vel in peccatis vivunt.

V. Universo mundo, siquidem hodie illuxit ei aurora, post diurnas ignorantie et gentilismi tenebras, adducens solem justitiæ Christum. Unde Ecclesia canit: *Nativitas tua genitrix Virgo gaudium annuntiavit universo mundo, ex te enim ortus est sol justitiæ Christus Deus noster.* Quare sicut aurora ægris levamen, jactatis in mari tranquillitatem,

hominibus et animalibus omnibus diem, amanti-  
bus gaudium affert; ita et ortus Deiparæ omni-  
bus hominibus justis et peccatoribus solatium et  
fiduciam. Sic enim vocatur Maria a Salomone,  
Cant. VI. *Quæ est ista quæ progreditur quasi au-  
rora consurgens?* Audi Rupertum, l. VI. in Cant.  
« Quando nata es, inquit, o Virgo beata, tunc  
vera nobis aurora surrexit, aurora prænantia diei  
sempiterni: quia sicut aurora finis est præteritæ  
noctis et diei sequentis initium; sic natiuitas tua  
finis dolorum et consolationis fuit initium, finis  
tristitiæ, et lætitiæ nobis extitit principium. » In  
aurora prodeunt ad cantum aviculæ: sic post  
ortum Mariæ genus humanum cœpit ad Dei cul-  
tum exhilarari.

Hodie nubecula parva, quasi vestigium hominis  
ascendit de mari, attulitque nobis pluviam salu-  
tarem, id est, gratiam Christi, qua restingueren-  
tur ardores mali et humectarentur arida et indu-  
rata corda (de qua Isa. ait, c. XLV. *Rorate cæli  
desuper et nubes pluant justum*) post tot sæculorum  
ariditatem et sterilitatem, III. Reg. XIX. Maria  
est nubes illa de qua Isa. c. XIX. ait: *Ecce Domi-  
nus ascendit super nubem levem*. Nubes levis seu  
nubecula erat propter humilitatem, qua sese an-  
cillam Domini profitebatur, et hinc etiam vesti-  
gium hominis dicitur; levis quia nullo prorsus  
peccati pondere premebatur.

Hodie mundo obsessio et penuria oppresso venit:  
*Navis institoris de longe portans panem suum*, Prov.  
XXXI. *de longe*, id est, de cælis: *Panem suum*,  
quia sola absque viri opera illum concepit, quem  
apud Bethlehem (domum panis) per partum suum  
virgineum, tamquam ex navi in omnium utili-  
tatem exposuit, quo in s. eucharistia pascimur,  
nutrimur ac vires ad laborandum in vinea Do-  
mini et ad configendum cum hostibus nostris,  
resumimus.

Hodie extracta est arca Noe, in qua non homi-  
nes tantum, id est, justi, sed et animalia, id est,  
peccatores evadere peccati naufragium et Dei  
iram possunt, Gen. VIII.

Hodie nata est nobis civitas refugii, ad quam  
confugere possunt peccatores omnes et ea me-  
diante pacem et gratiam invenire, Num. XXXV.

Quæ cum ita sint, auditores, gaudemus et nos  
hodierna die, nec gaudeamus solum, sed etiam  
gaudii huius fructus amplectamur. Si nobis illu-  
xit aurora: *Abjiciamus ergo opera tenebrarum et  
induamur arma lucis, sicut in die honeste ambule-  
mus; non in commensationibus et ebrietatibus, non  
in cubilibus et impudicitis, non in contentione et  
inulatione, sed induvimini Dominum Jesum Chris-  
tum*, ad Rom. XIII. Ad ortum auroræ aves lucifu-  
re se abscondunt, fures et rapaces feræ rapere

et furari desinunt; ergo similiter abjiciamus et  
nesciamus opera, quæ lucem Dei et hominum  
fugiunt. Incedamus honeste vestiti et culti, velut  
in die: ita ut omnis noster incessus, gestus,  
sermo, actio talis sit, qualem decet esse in luce  
evangelii, in qua spectaculum facti sumus mundo,  
angelis et hominibus. Si aurora prodit, prode-  
amus et nos ad laborem.

Si hodie nubecula parva apparuit, quæ effudit  
nobis pluviam gratiarum cœlestium; ergo susci-  
piamus pluviam istam, extinguamus æstum con-  
cupiscentiarum malarum, maceremus et emollia-  
mus indurata corda nostra, bibamus ore pleno  
aquam sapientiæ salutaris.

Si hodie appulit nobis navis institoris portans  
panem, veniamus, emamus absque argento: et  
fruamur hoc pane frequenter et cum gustu.

Si hodie fabricata est nobis arca, dataque civi-  
tas refugii, ad eam nos recipiamus in omnibus  
nostris afflictionibus magna cum fiducia. Non  
recurramus ad fraudes, dolos, nequitias, opem  
dæmonum, ad baculum arundineum caducorum  
solatiorum; sed ad arcam, ad asylum nostrum,  
Mariam, pergamus.

## CONCIO II.

DE ARBORIBUS HUIUS GENEALOGIE PRECI-  
PUI.

- I. Ab Abraham vitis, parentibus debita. — II. Ab  
Isaac amygdalus, liberis. — III. A Jacob persicus,  
subditis. — IV. A Davide olea, dominis. — V. A Salo-  
mone morus, sapientibus. — VI. A Roboam syc-  
comorus, rudibus. — VII. A S. Josepho palma, con-  
jugibus. — VIII. A B. Virgine arbor pudica, virgi-  
nibus. — IX. A Christo lignum vitæ, afflictis om-  
nibus.

## THEMA.

*Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et  
a generationibus meis implemini*. Eccl. XXIV.

Sanctus Bernardus, serm. XXIII. in Cant.  
historiam sacræ Scripturæ comparat horto, quod  
in ea inveniantur viri virtutum tamquam ligna  
fructifera, de quorum bonis actibus moribus  
quot sumis exempla, tot carpie poma. Quod  
quidem si uspiam alibi, in hodierno præsertim  
evangelio cernere est quod dum lego, puto me  
ingredi hortum pulcherrimis consitum arbori-  
bus, ubi variæ reperiuntur arbores virorum,  
feminarum, diversorum fructuum, pulcherrimo  
satæ ordine. Ut de eo dictum videatur, Cant.  
IV. *Hortus conclusus, fons signatus, emissiones*

*tæ*, id est, germina et propagines tuæ, *paradisus  
malorum puniceorum cum pomorum fructibus*. In  
hunc hortum invitat nos Deipara ex ore Eccle-  
siastici, c. XXIV. loquens: *Transite ad me omnes,  
qui concupiscitis me, et a generationibus meis im-  
plemini*, q. d. transite ad hunc hortum ut ex  
variis ejus arboribus colligatis fructus et implea-  
tis corda vestra. At multis videtur hortus hic  
conclusus, quemadmodum ibi dicitur: *evange-  
lium aut sterile, aut obscurum*. Aperiemus igitur  
cum Dei gratia illum, et quia circa hæc tem-  
pora fere colligi hortorum fructus solent, eamus  
ad spiritualem hunc hortum. Inveniet suam quis-  
que arborem: parentes, liberi, servi, domini,  
sapient, rudes, conjugati, cælibes, miseri, deni-  
que omnes. Adeste animis et audite.

I. Prima arbor vitis est, parentibus debita,  
eaque Abraham, ob fecunditatem: nam ut vitis  
multos palmites, quilibet palmes multos botros,  
quilibet botrus multas uvas, quælibet uva multa  
grana habet: ita erat et Abraham semen. Cæte-  
rum in duobus maxime vitem representat  
Abraham. Nam vitis imprimis surculos suos  
variis anfractibus curvat et palo alligat ne in ter-  
ram defluant humique outrescant: ita fecit et  
Abraham. Filios enim suos, dum teneri adhuc  
erant, curvavit et palo obedientiæ ac subjectionis  
alligavit, ne paulatim decedentes et terrenis  
rebus assueti corrumperentur. Quod enim sta-  
tuit de Isaac. Nonne ad vocem Domini tulit li-  
gua holocausti et imposuit super eum? Nonne  
alligavit eum posuitque in altare super struem  
lignorum? Nonne arripuit gladium ut immo-  
laret eum? Gen. XXII. filius unicus et dilectus  
erat Isaac, et tamen ita dure habetur. Gustate  
ex hac arbore parentes et audite Ecclesiasticum,  
cap. VII. *Filii tibi sunt, inquit, erudi illos et curva  
illos a pueritia eorum*: et Proverb. XXIII. *Si per-  
cusseris eum (filium) virga non morietur. Tu virga,  
percutes eum, et animum ejus de inferno liberabis*.  
Sic enim palmites alligati fructum ferent, alioqui  
putrescent.

Denique, uti vitis brassicam odit, et ab ea pal-  
mites suos tamquam ab hoste abstrahit, nec  
ulla ratione attingit, teste Pierio, lib. LVIII. hie-  
rogl. ita et Abraham filium Isaac a perversore  
Ismaele separavit, videns hunc colludere cum  
illo, parvas imagunculas, quasi idola faciendo;  
ut advertit S. Hieron. ibid. seductorem enim  
domo ejecit, Genes. XXI. Brassica sunt et Ismael,  
socii mali, peccandi occasione. Videant igitur  
parentes, ut liberos suos ab istis sepa-  
rent.

II. Secunda arbor est amygdalus, liberis debi-  
ta; eaque Isaac. Nam uti amygdalus prima om-

nium floret arborum, eaque si floruerit, uber-  
tatem frugum prænantiat, apud Pier. lib. V. Unde amygdalus bonæ spei typus erat. Ita et  
Isaac in juventute floruit virtutibus, atque adeo  
virtutis futuræ specimina certa dedit. Vultis scire  
parentes, quales olim futuri sint filii vestri?  
Tales erunt olim, quales se jam exhibent in ju-  
ventute; si pios, obedientes, morigeros habetis,  
tales et olim habebitis, et contra. Ecce Isaac,  
quam egregia amygdalus protulit in ipsa juven-  
tate statim florem pietatis et obedientiæ insignem.  
Pietatis, quia Genes. XXIV. dum ei sponsa addu-  
ceretur, egressus erat ad meditandum in agro.  
Si tunc egressus est ad meditandum, quando  
nemo orationis recordatur: non dubitandum  
cum aliis temporibus id facere solitum. Idip-  
sum ex eo patet quod Genes. XXI. cum videret  
patrem gestare ignem, ipse vero portaret ligna,  
non ait: Ecce ignis et ligna, coquamus nobis  
cibos, vel incendamus ædes, aut faciamus festi-  
vitatem, sed ubi est sacrificium? Obedientiæ  
vero, quia patri ducenti se ad vietimam instar  
oviculæ paruit, suscepit in se ligna, patitur se  
alligari, obmutescit et expectat ictum, nihil inqui-  
rens, cur ita duriter a patre tractetur: ita ut  
Sanctus Chrysostom. hom. XLVII. super Gen.  
intelligere se non posse asserat, utrum virtutis  
major fuerit, patris fortitudo, an pueri obedientia.  
Scribit quidem Josephus, lib. I. antiquit. c. XVIII.  
Isaacum, postquam intellexit a patre Dei præ-  
ceptum de sua immolatione, respondisse se,  
nisi alacriter obediret utriusque placitis, indi-  
gnum futurum, qui natus esset: atque adeo  
etiam si pater solus ita vellet, nefas esse non  
obsequi. Discite hic juvenes, a teneris assues-  
cere virtuti. Non enim mentitur Sapiens, Prov.  
dicens: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum  
senuerit, non recedet ab ea*.

III. Arbor servorum et subditorum est; eaque  
Persicus. Et quænam ex genealogia Jacob?  
Nam uti persicus in propria patria, Perside,  
unde et nomen habet, venenosa: in Italiam vero  
et exteras terras perlata innocua est, teste Pier.  
lib. LIV. hierogl. Ita et Jacob in domo paterna  
sibi et parentibus afflictio erat, *fratri Esau cla-  
vus in oculis*, uti Gen. XXVII. *videre* est. Ideo  
missus a parentibus in Mesopotamiam ad Laban.  
cui tam utilis erat, ut Dominus benedixit do-  
mum ejus propter Jacob: ita ergo melius est ser-  
vire liberos alienis in ædibus quam domi semper  
hære et otiari aut dominari in paternis ædi-  
bus. Porro sicut nucleus persici typus est cura-  
rum et anxietatis, ob mille puncturas quas refert,  
ut Pierius, ubi sup. ita decet et servos anxios et  
sollicitos esse in munere suo. Certe Jacob, dum

serviret viginti annis, die noctueque æstu urebatur et gelu. fugiebatque somnus ab oculis ejus, ut inquit ipse Gen. XXXI. Item: *Arietes gregis tui non comedi, nec captum a bestia ostendi tibi; ego damnum omne reddebam.* Gustate hinc vos servi. Quis est hic? Qui servit eidem domino viginti annis? A cujus oculis fugit somnus? Qui die nocteque æstu uritur et gelu? Qui nihil minuit domino? Qui damna persuam negligentiam illata compenset? Sed multi sunt qui ore fideliter serviunt, corde non item: omnes dicunt fideliter se agere, paucissimi agunt. Norint isti persicum habere simul folia figura linguæ, et fructum figura cordis, ita ut persicum cum suo folio veritatem representet, ut ibid. Pierius scribit. Quod si igitur veri Jacob et servi boni esse vultis, utrumque sibi cohæreat. Ea quæ de se prædicat Jacob, fatetur etiam Laban herus. Multa talia de se prædicant nostri servi, sed ea non confirmant domini qui vera non inveniunt.

IV. Arbor dominorum est, eaque olea. Et talis in genealogia David, ut de se ipsemet testatur: *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei,* Psalm. LI. Merito oliva David, nam uti oliva pacis et mansuetudinis typus est, teste Pierio, lib. LIII. David autem mansuetissimus, juxta id Psalm. CXXXI. *Memento Domine David et omnis mansuetudinis ejus.* Quis non miretur ejus mansuetudinem, qua Semei sibi impropertanti, II. Reg. VI. nihil nocere voluit sed paterne indulisit? Unde sicut tunc David descendebat de monte Olivarum, ita et Christus Dominus, Joan. VIII. postquam descendisset de monte Olivarum ad templum, absolvit adulteram. Ita ergo dominos erga subditos suos clementes esse decet. Unde monet Paulus ad Ph. VI. dominos, ut remittant minas erga servos, scientes quia utrorumque Dominus est in cælis.

V. Arbor sapientum et eruditorum est, eaque Salomon, qui moro apte comparatur. Nam (juxta id Politiani: *Mox ubi jam sapiens cepit frondescere morus*) morus arborum sapientissima est, eo quod, cum ei tam calor nimius quam frigus nimium obsit, non nisi exacto frigore germinet, atque adeo postrema arborum: sed et tunc citissime, quasi una nocte etiam cum strepitu, ut ait Plinius, l. XVI. cap. XXV. ne scilicet ab ingruente calore præpediatur, ut scribit Pier. lib. LIII. hierogl. Accidit tamen aliquoties, ut nihilominus a pruina comburatur, juxta id. Psalm. LXXVII. *Occidit moros in pruina.* Similiter et Salomon, qui David ex Bethsabæ postremo loco erat natus, et non nisi exacto bellorum et adversitatis frigore in regnum evectus florere sapientia cepit,

a pruina libidinis depastus et superatus est. Vobis sapientibus proponitur hæc arbor, non nimium vobis fidatis, nec vos supra alios extollatis. Si enim Salomon sapientissimus, patris optimi filius, a Nathan propheta optime educatus, si arbor inquam hæc prudentissima infatuata est, ut dubia sit ejus salus: videte ne idipsum vobis accidat.

Quam multi sapientes seducuntur cum Salomone ut colant deos alienos, alii Bacchum, alii Venerem, alii mammonam? Bene igitur monet apostolus ad Rom. XII. *Dico omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere quam oportet, sed sapere ad sobrietatem.*

VI. Arbor rudium et indoctorum est, eaque Roboam. Nam ubi hodiernum evangelium dicit: *Salomon genuit Roboam;* Ecclesiasticus, cap. XLVII. ait: *Dereliquit post se stultitiam et imminutum a prudentia, Roboam.* Ita ut eum sycomoro comparare possimus, quam Augustinus interpretatur ficum fatuam, sermone de verb. apostoli. Ficus fatua est sycomorus, partim moro, partim ficui similis, quia et fructum habet fatuum, qui ad maturitatem non perducitur, nisi prius ferreo instrumento radatur, ut refert Textor, in officina, tit. II. Talis profecto Roboam qui ad querelam populi sui, ut jugum eis a patre impositum alleviaret, spreto consilio senum secutus est consilium juvenum responditque: *Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cedam vos scorpionibus.* Unde factum ut decem tribus ab eo deficerent, et regnum ejus scinderetur, III. Reg. XII. Gustate hinc indocti, ne præcipitanter et temere quid agatis: et quorum sequamini consilia, videte. Immatura et incerta ut plurimum sunt horum consilia, ac dum insidiantur aviculæ, perdunt falconem. Radendæ sunt hæc ficus, non cauda vulpina, sed ferro, sed correptione: sequantur consilium seniorum et expertorum, non juvenum imperitorum. Prophetabant Achab, Reg. XL. illi pseudoprophetae, quæ placuerant illi; contra Michæas, quæ displicuerant: sed deceperunt illi regem, hic autem vera dixit, III. Reg. ult.

VII. Arbor conjugum est, eaque palma; palmarum enim sexus uterque est, mas et femina; ac Josephi typus. David Psalm. XCI. ait: *Justus ut palma florebit.* Qui iste justus, nisi is de quo Matth. I. dicitur: *Joseph autem vir ejus, cum esse justus, novit eam traducere.* In palmis mari et femina, mirus amor cernitur: nisi enim vicinæ sibi sunt, non fructificant, et læsa vel excisa una, sterilescit altera, teste Barth. Angl. XVII. cap. CXVI. Ejusmodi amor cernebatur etiam in Josepho ad B. Virginem, ejus enim individuus

comes erat, in via ad Bethlehem, in purificatione Virginis, in fuga ad Ægyptum et reditu, in inventionem Christi in templo. Tales igitur sint conjuges, ut sibi mutuo semper assistant, sive in exilio et adversitate, sive in patria et prosperitate, et alter alterius onera portet. Ad hæc nonne insignis erat amor, quod cum esset justus ac nesciret unde conjugis uterus intumisset, noluit eam diffamare et traducere, sed maluit fugam meditari, quam de ea sinistri quid suspicari aut spargere? Amabat summopere conjugem suam: nihilominus maluit ea carere, quam de ea sinistrum quid suspicari.

VIII. Arbor continentium est et virginum, nec alia nisi quæ in insula Pudifetania reperitur et ab effectu pudoris nomen consecuta est. Ea enim ut scribit Nicolaus de comit. surgit in altitudinem palmarum novem, ramosque expandit suos: sed si quis ad eam propius accesserit, illa velut retrocedens, ramos in seipsam colligit: recedente vero illo, ramos iterum dilatat. Non alia est hæc arbor, nisi B. Virgo, quæ in salutatione angelica: « Non in plateis erat (ut ait Eusebius Emissen. expos. evang. de annunt.) non in publico morabatur; intus erat, in penetralibus sola sedebat. » Deinde, ab angelo salutata: « Turbata est et cogitabat qualis esset ista salutatio. » Unde Ambr. l. II. de virg. « Virgo quasi viri mota specie trepidavit: » et Luc. I. « Trepidare virginum est, et ad omnes viri aspectus pavere: omnes viri affectus vereri. » Hinc S. Bernard. serm. LXXXVI. sup. can. vocat verecundiam sororem continentie: item virgam disciplinæ, expugnatricem malorum, propugnatricem puritatis innatæ, specialem conscientie gloriam, famæ custodem, vitæ decus, virtutum primitias, naturæ laudem et insigne totius honesti. Contra ubi custos hic castitatis non est, ibi omne periculum est ut patet exemplo Dinæ, quæ curiosius egressa raptâ fuit, Gen. XXXIV. Egressa est, non ut videret juvenes aut viros, sed mulieres tantum regionis illius, ut ibi dicitur: et tamen a juvene raptâ fuit, ecce inter mulieres juvenis aliquis erat: ita nisi videtur occasio, cito sequitur peccatum.

IX. Arbor omnium afflictorum Christus est, et cui arbori comparabimus eum, nisi ligno vitæ, quod erat in medio paradisi? Arbor illa omnibus conservasset vitam, si ad eam confugissemus, atque ut confugere possemus, in medio paradisi erat. Ita Christus omnibus offert salutem atque ut eam consequi possimus, omnibus dat gratiam; ideo fere semper in medio repertus erat: in medio duorum animalium, in signum universalis providentiæ: in medio doctorum, in signum uni-

versalis illuminationis qua omnem hominem illuminat: in medio discipulorum, in signum amoris, quo omnes amplectitur et vult salvos fieri: in medio terræ patitur, in signum misericordie, qua omnes redemit. Nemo igitur sit qui de Christo conqueratur, quia omnibus dat quod satis est: et si tu non accedis ad hoc vitæ lignum, idque non degustas, tua est culpa. Non sequitur te lignum: sed in medio est, et gratiam sufficientem habes, qua accedere ad illud potes. O igitur lignum vitæ dulcissimum, concede nobis ut et te desideremus, et meritis B. Virginis Mariæ ad te perveniamus, teque in æternum fruamur.

## CONCIO III.

SIGNIFICATIONES NOMINIS MARIE.

I. Amarum mare. — II. Domina. — III. Illuminata et illuminatrix. — IV. Myrrha. — V. Stella.

## THEMA.

*Jacob genuit virum Mariæ. Matth. I.*

Primo Regum XVII. ubi pugna Davidi cum Goliath describitur, legitur David de torrente quinque limpidissimos elegisse lapides: quorum unum fundæ imponens et circumducens, in Goliathum ejaculatus, fronti ejus infixit, ipsumque communem Israelitarum hostem in terram prostravit. Goliath iste communem generis humani hostem diabolum significat, contra quem omnibus nobis quamdiu in hoc mundo sumus, depugnandum est cum Davide, teste apostolo ad Ephes. VI. *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.* Sed qua ratione vincendus est et prosternendus hic fortis hostis diabolus? Quis ille lapis tam dexter et aptus ad conterendum caput ejus? Uti que limpidissimum et sanctissimum nomen Maria. De hac enim dicitur, Gen. III. propheticæ (ut sentiunt ss. pp.) *Ipsa conteret caput tuum.* Id quod multifariam ipsa fecit. Cæterum hic lapis ut quinque litteras, ita quinque expositiones habet: quas si ritè ponderemus, et funda considerationis nostræ gyremus, diabolicum Goliathum non difficile prosternemus.

I. Exponitur amarum mare a mara, id est, amarum; et jam, id est, mare ut exponit Hieronymus, l. de nom. Hebr. Et hoc quidem in vita fuit Filio compatiendo, ut ait S. Bonaventura. in spec. Virg. quia particeps omnium tribulationum Christi, in paupertate, persecutionibus, itperi-

bus, doloribus, angustiis individua ejus comes : ac sicut omnia flumina intrant in maria, ita omnes dolorum Christi fluctus intrarunt in Mariam, ut posset dicere Filio : *Omnes fluctus tuos induxisti super me*, Psalm. LXXXVII. Et quemadmodum guttas maris nemo numerare præterquam Deus potest, ita et dolores B. Virginis nemo alius intelligere ; iis siquidem aliorum sanctorum dolores comparati sunt tantum rivuli, tam ratione multitudinis, quia omnia Christi tormenta persensit in corde ; tam ratione subjecti, quia passa est in anima, cujus dolore longe sunt acutiores, quos Simeon ei prædixit, Luc. II. *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit*. Martyres vero si in corpore patiebantur, in anima recreabantur ; tum ratione modi, quia spectare debuit Filium patientem, pro quo ipsa libentius passa fuisset, quam patientem spectarit, quia Filium longe plus quam seipsam diligebat. Multo igitur verius quam Noemi illa dicere nunc poterat Ruth, c. I. *Ne vocetis me Noemi, id est, pulchram, sed vocate me Mara, id est, amara, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens*. Tacent igitur hæretici, qui tunc nihil doluisse eam asserunt. Nam quomodo tunc Matrem se ejus ostendisset, si Filio non condoluisse? Sic enim Salomon agnovit veram matrem, quia commota sunt viscera ejus super filio, III. Reg. III. Deinde, si elementa compatiebantur ei, cor Matris non condoleret? Cæterum sicut mare non redundat, licet omnia flumina intrent in mare ut ait Ecclesiastes, c. I. ita et Maria, licet omnibus dolorum Christi fluminibus obrueretur, non tamen redundabat, quia nullum impatientiæ vel indignationis fructum effudit in quemquam. Atque hic primus est hujus maris amari fructus, quo patientiam nos exercere in tribulationibus docet et fortitudinem. Quid enim sunt tribulationes nostræ, cum doloribus Virginis comparatæ nisi guttæ respectu maris? Tametsi enim Filium aut charissimum tibi morientem videas, non tamen in cruce pendentem vides. Tametsi ipsemet plurima patiaris, non tamen in te derivantur dolores Christi, qui derivabantur in Mariam. Igitur sicut vase cereo in mare immisso, et aliquamdiu inibi relicto, hauritur dulcis aqua, ut scribit Aristoteles, lib. meteor. c. I. et II. ita si nos vasa lutea, cerea et fragilia portantes cogitatione nos immittamus in mare amarum passionum Mariæ, dulcem credemur mibi, inde hauriemus aquam. Dicemus enim : Nihil est, dulcedo est, totum id quod patior, si cum Mariæ doloribus comparem. Alter fructus est fiducia liberationis de omnibus nostris angustiis per Mariam : quia enim ipsa angustiarum expertissima est et sciens infirmitatem novit etiam no-

bis compati et succurrere. Itaque sicut mare et innatam salsedinem minus patitur mergi naves quam aqua dulcis, teste Aristotele, ubi supr. ita et Maria, amarum inquam mare, minus patietur nos interire et mergi in nostris tribulationibus, quam si nullam calamitatem exantlasset.

II. Exponitur domina, seu magistra maris, a mora, id est domina vel Syriaco *maria*, id est, domina vel magistra. Ita Hieron. ubi supr. Et hoc etiam congruentissimum est Mariæ nomen, siquidem ipsa pene in omni lingua *domina* vocatur. Quinetiam r. Accados celeberrimus Hebræorum doctor, ante Christum, Matrem Messie dominam nuncupandam prædixit. Et quidem jure meritissimo ; nam si reginæ gaudent privilegiis et nominibus regum, (nam et imperatrices vocantur Augustæ) cur non etiam Mater Christi, privilegio Filii? Qui cum ab omnibus vocetur Dominus, cur non et Mater domina? Imo si ipse Dominus subditus illi fuit, uti Lucas ait, cap. II. quomodo non ipsa domina, imo domina dominarum, et domina omnium creaturarum, si subditum habet creatorem? Sara antequam ejus maritus Abraham, pater *multarum gentium* constitueretur a Deo, vocata *Sarai*, id est, domina mea vel princeps mea. Post promissionem vero et constitutionem illam præcipit Deus Abraham ut vocet eam, non amplius *Sarai*, sed *Sara*, id est, domina vel princeps absolute, Genesis XVII. quia nimirum antea domina tantum unius mariti et familiæ fuit ; postea vero plurimarum gentium per Isaac, quem paritura erat ; ex quo Christus erat nasciturus, pater omnium gentium. Itaque Sara Mariæ typus erat, ut enim illa secundum carnem domina et princeps omnium gentium erat ; ita Maria secundum Spiritum. Et si Sara tam remota Christi avia, ob Christum, domina vocari jubetur : quanto magis Maria ejus Mater? Jam vero Maria in terra unius tantum pauperis familiæ domina erat : nunc autem postquam in cælis sedet, et super omnes sanctos constituta, rectissime omnium gentium domina et princeps appellatur. Quo ex nomine bonos item fructus elicimus. Primo enim, si Maria domina et magistra est, ergo potestatem habet nos modis omnibus juvandi, et bona omnia nobis dispertiendi. Cum in vivis degeret, vinum gratiæ nobis impetrare a Filio poterat, sicut convivis quondam nuptialibus, Joannes II. Nunc vero ex quo in cellaria gratiæ et honorum Dei introducta est, juxta id Cant. I. *Introduxit me rex in cellaria sua*, et in cælo juxta Filium sedet, domina gratiarum et dispensatrix esse non dubitatur. Ea enim : *Antea quasi sub clave custodiebantur*, inquit Gerson. tract. IV. super Magnif. *modo ei tamquam reginæ patent*

omnia. Secundo, sicut Maria non prius dicta est domina, quam ipsa se ancillam diceret : ita non meretur exaltari, qui non didicit humiliari ; nec bene poterit præesse, qui non prius didicerit subesse ; qui in altum vult saltare : avis quæ de terra surgere et in altum evolare, prius sese deprimit, ut nisu fortiore elevetur. Hoc certe Maria fecit ; hoc David, qui de post fetantes acceptus et positus est in regis solium ; hoc omnes faciant necesse est, qui bene et sine periculo præesse volunt. Denique, si nostra domina est Maria, ubi ejus honor? Ubi cultus? Ubi obsequium? Ubi timor? *Filius honorat patrem* inquit Malachias, cap. I. *et servus dominum suum, si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Similiter ergo dico : Si domina nostra est Maria, ubi ejus honor, obsequium? Ubi sunt qui sabbatum, ejus diem honorant? Qui in honore ejus labores vesperi deponunt, in ejus vigiliis jejulant ; festo solemniter confitentur, et communicant? Ubi ejus pedessequæ quæ vitam ejus et vestigia sequuntur? Videamus igitur, ne si nos servi ejus non simus, ipsa non sit nostra domina.

III. Exponitur a quibusdam, illuminata et illuminatrix, ut refert idem Hieronymus, sup. et Eucher. lib. II. instruct. capit. V. et alii, rectissime utrumque. Quis enim eam illuminatam dubitet, quæ ipsi justitiæ soli Christo perpetuo adhæsit in terris : et nunc adhæret in cælis? Quod si Moyses spatio quadraginta dierum cum Deo loquens familiariter, ita luce perfusus est, ut non possent filii Israel intendere in ejus faciem, Exod. XXXIV. quid de Maria credendum, quæ supra triginta annos cum ipso in eadem domo et mensa familiarissime conversata est, et nunc in cælis perpetuo conversatur? Illuminatrix vero, quia ipsa apostolos et primos Christianos, secum viventes procul omni dubio instruxit, et per illos nos quoque. Propterea enim Sanctus Anselmus, libro de excell. Virg. capite VII. existimat, tamdiu eam in terris post Christum relictam, ut esset *doctrinæ apostolorum*. Sanctus etiam Ambrosius, lib. de instit. Virg. capit. VII. vult ab ipsa edocutum esse in multis Joannem evangelistam, qui præ cæteris historiam Christi quasi ad vivum descripsit : *Non miror*, inquit, *præ cæteris mysteria divina locutum, cui præsto erat aula cælestium sacramentorum*. Ac propterea forte dicitur conservasse omnia verba hæc, id est, quæ circa Christum et ab ipso gesta sunt, ut postmodum alios ea doceret, ut sensit gl. in capite II. Lucæ ex Beda. Discimus hinc primo, æquanimis esse in tribulationibus, quia enim illuminata est, nostras ærumnas et calamitates non ignorat. Sufficiebat

sororibus Lazari, indicasse tantum Domino infirmitatem fratris : *Ecce quem amas, infirmatur*, Joannis XI. tum enim non dubitabant adfuturum amico suo Dominum, ac quamprimum advolaturum, quemadmodum et factum est. Sufficiat etiam nobis, videri calamitates nostras a Maria, vel saltem, precibus ei intimas esse : non amat et deserit ; non aspicit, quin juvet in ipsam confidentes : *Numquid enim oblivisci potest mater infantem suum?* Isaia XLIX. Maria clientes suos? Deinde, qui doctus et illuminatus est, doceat et illuminet similiter proximum suum, idcirco enim optime Maria comparatur lunæ, quod uti luna a sole illuminatur, et communicatum sibi solis lumen, nocti mox communicat ; ita et Maria participatum a Christo lumen, apostolis et per eos nobis fideliter participat, sedentibus in tenebris. Decet igitur ut simili modo, qui illuminatus est, sit et illuminator : ut quæ in concionibus audivimus, in piis libris legimus, ignorantibus communicemus.

IV. Exponitur a quibusdam, myrrha maris, ab Hebræo mor, id est, *myrrha*, Hieron. dicto loco : ac propterea volunt aliqui sororem Moysis Mariam vocatam, quod eo tempore nata sit, quo cœpit amara tyrannis Pharaonis præcipientis mergi infantes Hebræorum, ut tradunt Hebræi, et refert Corn. a Lap. in Pentat. Recte etiam Deipara myrrha vocatur ob passionis amaritudinem, quam sub cruce hausit. Sed non solum amarorem habet myrrha, verum etiam conservandi vim a corruptela, ac propterea Mariam nostram recte vocamus myrrham maris, quia ab ejus nativitate mundi conservatio cœpit, qui prius in profundum mergebatur pene totus, ipsa siquidem mundi servatorem nobis peperit, ac deinceps meritis et intercessione sua mundi hujus vastum pelagus quantumvis inquietum et turbulentum, conservare studuit. Maria itaque soror Moysis Israelitarum dejectionem et eversionem significabat : Maria Virgo mundi erectionem et conservationem nuntiabat : eaque figurabatur in muliere illa, II. Reg. XVII. quæ confugientes ad se Jonathan et Achimaas, ab Absalone ad necem quæsitos, abscondit in puteo, expandens velamen super eos, quasi siccans ptisanas. Maria est hæc mulier, quæ mundum toties æternæ mortis reum, et a Deo ad necem merito quæsitum, velamine suarum abscondit precum et meritum. Unde enim putamus venire, quod temporibus nostris, tam innumeri et gravissimi peccatores a Deo tolerentur, nec confestim puniantur morte subitanea et gehenna, sicut factum sæpissime legimus in veteri lege? Ibi gulosi diluvio absumpti : libidinosi incendio sulphuris et ignis de cælo cadentis

exusti : ibi rebelles et refractarii terra absorpti : ibi blasphemii ab angelo percussi : ibi mali sacrificiorum ministri igne involuti : ibi qui arcam irreverenter aspexere vel tetigere, morte subita plexi : numquid modo in mundo non gulosi ? Numquid non blasphemii ? Numquid non mali Ecclesiae ministri, et qui sacra et sacramenta irreverenter tractant et percipiunt ? Imo vero innumerari. Quis retinet Dei iram ? Utiq; Maria, myrrha conservans mundum perditum. Ipsa expandit super nos pallium suum, et ab ira Dei repentina protegit nos sicuti pavo mater pullos suos a masculo, qui eos perdere quaerit quia sibi dissimiles videt. Non adducor una causa, ut hoc dicam. Testantur id ss. patres : testatur mundi perditissimi conservatio, qui nisi interveniente summa interventrice conservari in tanta perversitate non posset : testantur visiones et varia exempla. D. Antoninus archiep. Florentin. III. p. coron. et Thom. Bozcius, de sig. eccl. lib. IX. cap. X. referunt ex vita S. Dominici, cum oriens ab Ecclesia totus esset abalienatus, Fridericus II. in occidente ut pontificiam potestatem everteret, ferro et flamma omnia vastasset, Saladinus in Syria nostros profligasset, atque ita interitus Ecclesiae totalis immiret, tunc vidisse sub oratione Christum humano generi iratum tres lanceas in terras vibrasse, quasi eas extincturum ; Mariae vero Filium amplexantis et retinentis precibus sedatum esse : et ab illo tempore tranquillitatem maximam Ecclesiae subsecutam esse. Alio tempore visum similiter Christum hominibus iratum a pio quodam viro scribit idem Antonius, ib. c. VI. § III. cum comprehensum velut manu totum orbem concutere videretur, quasi in barathrum praecipitatus, illo adjuncto : *Cum indicatur, exeat condemnatus.* Quo spectaculo vir pius territus ad Virginem clamat : *S. Maria succurre miseris, moxque illa dilationes vindictae impetrat, quoad per concionatores mittendos homines revocarentur a sceleribus.* Discamus hinc charissimi, quantum debeamus Mariae, propterea quia myrrha maris est, mundi conservatrix.

V. Exponitur stella maris. Ita Hieronym. et Eucher. ubi sup. Et talis denique Maria est : non utique tantum mundi conservatrix ut supra dixi, sed cujuscumque afflicti et peccatoris refugium, spes, et solatium, sicut stella maris de nocte navigantibus et inter fluctus periclitantibus. Unde Bernard. hom. II. de B. Virg. ait : « Nomen Virginis Maria, quod interpretatum maris stella dicitur, ipsa est praecleara et eximia stella super hoc mare magnum et spatiosum sublevata, micans meritis, illustrans exemplis. » Porro stella polaris est, quae nautas maxime dirigit, quia ea polo

vicinissima, et pene immobilis, poli altitudinem et per hoc iter nautarum in tenebris ostendit et dirigit. Similiter Maria polo, qui Christus est in caelo vicinissima, habet apud ipsum preces praereliquis sanctis maxime immobiles, quatenus ab ipso multa audet petere et potest impetrare, quae caeteri sancti non audent : sicut et merita longe excellentiora habet. Igitur qui in tenebris peccatorum, Cimmeriis licet, navigat, qui in periculo animae vel corporis est, stellam hanc respiciat, Mariam vocet. *O quisquis, subjungit sup. Bernardus, te intelligis in hujus saeculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare, quam per terram ambulare, ne avertas oculos a fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis : respice stellam, voca Mariam.* Nemo potest dicere : Non novi stellam istam. Notissima est mundo, pueris et puellis, gentilibus et haereticis. Petunt namque isti etiam eleemosynam a nobis, per Deum et Mariam. Nemo potest dicere : Non miserebitur mei haec stella, quia ipsa amarum mare est, miserias experta, miseris compati docta. Nemo potest dicere : Non possum juvari ab hac stella : ipsa enim domina est, Christo in polo proxima. Nemo potest dicere : Non videor ab hac stella ; ipsa enim illuminata est, sciens et considerans calamitates nostras. Nemo potest dicere : Non servabor ab hac stella ; ipsa enim myrrha conservans est, etiam perditissimorum hominum, exitio proximorum. Nemo potest dicere : Non habeo accessum ad eam, ipsa enim in caelo conspicua est, parata ad opitulandum omnibus. Nemo denique potest dicere : Non indigeo hac, qui in tenebris peccatorum non navigo. Tametsi enim forte nunc non navigas, navigabis tamen aliquando, et in mediis tenebris appelles, quod omnium periculosissimum, mortis scilicet in articulo. Et cur putatis vult Ecclesia, ut Mariam omnes invoceamus pro felici obitu, dicendo : *Ora pro nobis, nunc et in hora mortis nostrae ?* Nimirum optime novit, quam periculosum sit appellare in articulo mortis, mediis viarum tenebris, et propterea monet, ut stellam illam semper intueamur, et ad portum consequendum propitiis nobis reddamus. Unde Bernardus superius dictis, subjungit : « Si insurgunt venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam : si jactaris superbiae undis, si detractionis, si aemulationis, respice stellam, voca Mariam : si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra, naviculam concusserit mentis, respice Mariam : si criminum immanitate turbatus, conscientiae foeditate confusus, iudicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiae, desperationis abysso, cogita Mariam : in periculis, in angustiis, in rebus

dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde : et ut impetres ejus suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans, non erras : ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis. » Hec Bernardus.

Itaque lapidem istum fundae considerationis impositum sedulo gyremus, et in hostem animae nostrae ejaculemur ; ipsa conteret caput ejus.

## CONCIO IV.

OSTENDITUR DEIPARAE DEBERE SUMMAM GRATIARUM PLENITUDINEM ET DIGNITATEM.

I. Quia Filium Dei concepit. — II. Quia gestavit in utero. — III. Quia peperit. — IV. Quia lactavit. — V. Quia educavit.

## THEMA.

De qua natus est Jesus. Matth. I.

Narrat Lucianus, in haeresibus, Phidiam statuarii inspecto leonis dumtaxat ungue quantus esset leo perpendisse, totumque ex indicio unguis effinxisse ; atque hinc adagium ortum : *Ex ungue leonem.* Sperabamus Sanctum Matthaeum in hodierna Christi genealogia, quando ad sanctissimam ejus matrem veniendum esset, leonem nobis exhibiturum, hoc est, matris dotes egregie descripturum ; sed pro vasto corpore, unguem tantum exhibuit, dum aliud de ea nihil edixit, quam quod de ea natus sit Jesus. Verum non difficile est nobis ex ungue leonem, et ex brevissimo hoc verbo Virginis Mariae dignitatem cognoscere. Tam enim praegnans est hoc verbum, ut inde, qualis sit heroissa Deipara, non difficile colligere possumus. Ex hoc una venula fons omnium gratiarum in Mariam derivatur.

I. Quia Filium Dei concepit, formatum e materno suo sanguine, opera Spiritus sancti. Nam ut argumentatur D. Thomas, III. p. q. VII. a. IX. et q. XXVII. a. V. Quo magis aliquid appropinquat suo principio seu fonti, eo magis participat de illo : jam vero humanitas Christi inter omnes creaturas propinquissima est Deo, qui est causa et fons omnis gratiae, unde ea maximam gratiarum plenitudinem debuit recipere. Post illam propinquissima fuit Deo Maria, quia ex illa carnem seu humanitatem illam assumpsit : ergo post humanitatem Christi, summa gratiarum plenitudo debetur ipsi super omnes alias creaturas. Major ostenditur inductione. Quo enim arbor

aliqua vicinior est ripae fluminis, eo magis viret ac floret ; quo quid propinquius est igni vel lumini, eo magis calet et lucet ; qui vicinior fonti, plus haurit. Ideo dicitur in Apoc. c. XII. *Mulier amicta sole*, ob propinquitatem videlicet toto radians et illuminata a sole, sicut aeris suprema regio lucidior est quam infima, quia soli vicinior. Itaque sicut meritissimo attribuimus Christi humanitati summam gratiae plenitudinem, summam scientiam, virtutes omnes in summo gradu, summam venerationem, summam gloriam, etc. praer omnibus creaturis : sic etiam post illum, attribuenda est Deiparae, summa sapientia et scientia, summae virtutes, merita, honor, gloria, etc. « Quemadmodum enim decentissimum fuit, inquit Dionysius Carthus. initio l. I. de laudib. Virg. ) ut illam naturam, quam creator voluit suae personae unire, omni charismate gratiae ac gloriae, omni virtute perfecta ac dono Spiritus sancti summe et incomparabiliter decoraret, eodem instante quo eam assumpsit : ita omnino concedens fuit, ut virginem illam, quam sibi matrem elegit, post humanitatem assumptam, universis gratiae ac gloriae charismatibus inenarrabiliter excellentius munificentiusque ornaret, quantum decuit sine dubio matrem praeministris exornari, exaltari, atque deificari. Et sicut non decuit naturam humanam, nisi pulcherrimo atque incomparabiliter decoratam assumi a Verbo ; ita nullatenus decens fuit, personam humanam effici Dei Matrem, nisi speciosissime et gloriosissime ornatam. » Sic ille. Quod si ad Assuerum regem nulla puellarum intrare poterat, nisi prius regis ex impensis mundo muliebri pulcherrime adornaretur, et sex mensibus oleo myrtino ungeretur, et aliis sex quibusdam pigmentis et aromatibus uteretur, ut habetur, c. II. Esth. quanto magis decuit adornari Mariam talibus gratiarum ornamentis, antequam ad Deum adduceretur, ut ipsa fieret homo ? Rursum Deus Judithae praeter splendidissimum ejus ornatum : *Contulit insuper splendorem et ampliavit hanc in illam pulchritudinem* (ut dicitur Judith, c. X.) *ut incomparabili decore omnium oculis appareret, et Holoferni placeret, quem ejus manu occidere parabat ;* Virgini ad excipiendum utero Dei Filium, quid conferre, qualem mentis splendorem, qualem pulchritudinem largiri non voluit ?

II. Quia Dei Filium gestavit in utero novem mensibus. Si enim domus, qua terrenus rex excipitur, pretiosis adornatur aulais et omni suppellectile splendidissima instruitur, necnon odoribus perfunditur, matrem, quae Deum non tantum hospitio exceperit, sed velut in proprio habitaculo novem mensibus tenuit, quibus gratiae or-